BIBLIOTEKA
MUZEUM ŚLĄSKIEGO
10307
II

AMOENITATES BOTANICÆ BONNENSES

FASC. II.

C. G. NEESII AB ESENBECK ET TH. FR. L. NEESII AB ESENBECK

PLANTARUM ICONES SELECTAE.

PLANTARUM,

IN HORTO MEDICO BONNENSI NUTRITARUM, ICONES SELECTAE.

MANIP. I.

EDI CURAVERUNT ET ILLUSTRAVERUNT

Dr. C. G. NEES AB ESENBECK,

ET

Dr. TH. FR. L. NEES AB ESENBECK,

FRATRES,

HORTO PRAEFECTI.

CUM

GUIL. SINNING, HORTULANI UNIVERSITATIS,

ANIMADVERSIONIBUS, AD CULTURAM HARUM PLANTARUM SPECTANTIBUS.

BIBLIOTH. GYMN. GLACENSI.

BONNAE, 1824.

ZBIORNICA KSIĘGOZBIORÓW ZABEZPIECZONYCH W KATOWICACH

Knihovna Obrnoárdrkr
v Ostravě
10307 III

VIRIS PRAECLARISSIMIS, AMICIS DILECTISSIMIS,

C. G. L. REINWARDT, D.,

DOCTRINARUM PHYSICARUM IN UNIVERSITATE LITERARUM LUGDUNENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO etc. etc.

ET

C. L. BLUME, D.,

HORTI BOTANICI, BUITENZORGII IN IAVA INSULA FLORENTIS, DIRECTORI etc. etc.

PROPTER SUMMA IN HORTUM BONNENSEM MERITA HOC PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM OFFERUNT

C. G. NEES AB ESENBECK

ET

TH. FR. L. NEES AB ESENBECK,

HORTO PRAEFECTI.

1. CATASETUM Richard *). Humb. et Kunth. Synops. Pl. Vol. I. p. 330.

Gynandria Diandria Lin. — Ord. nat. *Orchideae.*

Char. ess. Calix resupinatus; foliola 5 subaequalia; labellum saccato-concavum. Gynostemium bicorne; cornua retrorsa, filiformia, arcuato-conniventia. Anthera operculata, gynostemio interne infra apicem attenuato-subulatum insidens. Pollinis massae duae, membrana, in pedicellum communem demum convoluta, suffultae.

Catasetum purum.

C. foliolis calicinis duobus inferioribus obsolete punctatis, labello immaculato ciliato.

Habitat in *Brasilia.* Perenne. — Floruit Aprili et Maio mensibus in Caldario.

Descr. Parasiticum. Bulbus oblongus, 1¼ — 1½ pollices crassus, 5½ — 8 pollices longus, virescens, inferne vaginarum residuis pallidis striatis notatus et subannulatus, apicem versus vaginis latis membranaceis aphyllis equitantibus obvolutus; latere semel innovans. Folia ex apice bulbi 2 — 3, 8 — 9 pollices longa, elongato-lanceolata, flaccida, nervoso-striata, sub

*) Nomen *Catasetum*, e voce graeca κατὰ et latina «seta» compositum, (nisi melior etymologia nos lateat), viris peritis vix commendabitur. Rectius forte Catachaetium scriberes, sed χαιτήεις, setosus, aliam terminationem poscit.

tempus florescentiae apice emarcida. Scapus e bulbi basi subterranea contracta oriundus eiusdemque longitudinis, erectus, teretiusculus, glaber, subundatus, basin versus vaginis 2 — 3 remotiusculis ovatis obtusis amplexicaulibus membranaceis aphyllis praeditus, apice floriferus. Flores 5 — 6, magni, cernui, virides, odoris aromatici debilis, pedunculati. Pedunculi firmi, erecti, subcorymbosi, compresso - trigoni, glabri, flore dimidio longiores. Bractea sub singulo flore solitaria, triangularis, acuta, viridis, margine membranaceo, pedunculo multo brevior. Calix deorsum spectans: foliola subconniventia; tria exteriora angustiora, elliptica, obtusa, integerrima, viridia, nervoso - striata; duo interiora ovata, exterioribus colore et structura similia, sed basi utrinque obsolete fusco punctata margineque hinc inde denticulata. Labellum erectum, amplum, fornicatum, crassum, margine inferne denticulato - ciliatum, extus laeve virens, interne rugulosum viridi - flavum, gynostemii cornua occultans. Gynostemium inferum, rectum, naviculare, in floribus inferioribus apice subulatum, processu superne excavato et carina media obtusa in duos canales diviso; in superioribus brevi retusoque ungue terminatum, viride, ex utroque latere stigmatis cornu praeditum. Cornua longitudine fere labelli, in cuius fornice ascendunt, subulata, membranacea, complicato - canaliculata, pallide viridia. Anthera operculata, gynostemio infra apicem canaliculato - concavum inserta; operculum ovato - subulatum, (in superioribus subtruncatum,) gynostemii apici applicatum, parte latiori deorsum convoluta emarginata, supra viridi, subtus, ubi margines inflectuntur, flava. Massae pollinis duae, divergentes, oblongae, obtusae, sursum convolutae, ceraceae, luteae, membranae communi, stigma velanti, basi dilatato - glutinosae et huius glutinis adminiculo foveae profundae gynostemii, sub stigmate excavatae, inhaerenti, adnatae, quae membrana demum, parte inferiori glutinosa e fundo foveae soluta, libere erigitur et eum in modum convolvitur, ut stipitem antherarum membranaceum canaliculatumque exhibeat. Stigma obtuse triangulare, magnum, primum membrana pollinifera vestitum virescens, demum denudatum fuscescens. Fovea nectarifera profunda sub stigmate descendit. Germen inferum, obsoletum, in pedunculi apicem abiens.

Observ. Fatemur, per nobis simile videri *Catasetum maculatum* H. et K., l. c. p. 531 descriptum; noluimus tamen coniungere, considerando:

1) huic tribui folia lanceolato-oblonga, subtripollicaria, quae lanceolato-elongata in nostris, 6 — 7 pollices saltem metiuntur;

2) calicis foliola duo exteriora cornuum in modum patentia, quae connivent in nostra;

3) duo autem interiora foliola calicis nigro-maculata, quae vix conspicuis punctis notata prodeunt in *Cataseto puro*;

4) labellum intus rubro maculatum in nostra non reperiri, sed colore luteo pingui nitere in cavitate interiori.

Cultura. Planta haec, cum paterno solo vel in arborum truncis putrescentibus vel etiam inter folia surculosque putredine dissolutos crescere videatur, difficilius ea quidem, ut aliae quoque eiusdem generis, in hortis nostris colitur, neque arte naturam imitari arborumque truncis in caldario inserere plantam, tametsi aliquando prospere id succedat, utile semper duxerim, praesertim ubi speciem aliquam, per se quidem raram, deficiente adhuc sobole infelici perdere experimento timeas. Quem in finem, ut aliqua saltem parte simile loco natali solum memorabili huic speciei pararetur, testam, in quam deponenda erat, ad pollicis altitudinem cortice comminuto *) implevimus, instrataque huic cortici ad parem altitudinem humo crassiori, e ligno et foliis orta, quod reliquum erat testae cortice circum applicato penitus conteximus, quo facto denique bulbus in humo, e foliis parata arenaque tenui mixta, pangebatur; placuit etiam, terrae superficiem omnem operire cortice. In irrigando solo summa cura vitandum, ne nimium aquae imbibat, praesertim post folia deiecta, quo tempore planta haec rigatione immodica maxime laeditur. Locum per totum annum eidem legimus in caldarii fortioris cortice coriario, et eum vero soli minus expositum. Propagare si velis, ad bulbos, e latere adultioris ascendentes, recurrendum erit, qui nudi quidem nullaque testa adhibita, in cortice

*) *Ulmi suberosae* corticem ad id plurimi esse ducebamus.

calefacto defossi, cum tempore germinabunt. Et haec quidem sola propagationis via est, quam ad hunc diem cognovimus. Plura docebit dies. S.

Explicatio iconum. Tab. I.

A. *Catasetum purum* magnitudine naturali.
a. Foliolum calicis interius magnitudine naturali.
b. Labellum, in medio dissectum, cum gynostemio integro, demta anthera, a latere conspectum, magnitudine naturali.
c. Gynostemium bicorne, integrum, anthera, calice et labello solutis, a parte superiori visum, magnitudine naturali.
d. e. Idem, demto operculo, sed massis pollineis cum fulcro relictis: *d.* a fronte, *e.* a latere dissectum.
f. Gynostemium floris superioris cum operculo, a fronte visum.
g. Operculum eiusdem, a parte inferiori visum, cum massis pollineis.
h. Operculum floris inferioris magnitudine naturali.
i. Idem, magnitudine aucta, a latere inferiori.
k. Idem, magnitudine aucta, a latere superiori visum.
l. Operculum floris superioris exterius magnitudine naturali.
m. Idem, magnitudine auctum, a tergo visum.
n. Massae pollinis cum pedicello convoluto, a latere inferiori, magnitudine nat.
o. Eaedem auctae, ab eodem latere.
p. Eaedem auctae, a tergo spectandae.
q. Eaedem pedicello explanato, magnitudine aucta.
r. Massa pollinis, transversim dissecta, magnitudine aucta.

Lecanocarpus. *)

Class. Lin. Monandria (vel Diandria) Monogynia. — Ord. nat. *Amaranthaceae.*

Char. ess. Flos hermaphroditus. Calix pentaphyllus, herbaceus. Corolla nulla. Stamina 1-2, foliolis calicis opposita, antheris didymis. Stylus simplex, persistens, stigmatibus duobus. Cystis orbicularis, depressa, marginata. Semen unum, horizontale.

Char. nat. Calix inferus, pentaphyllus, erecto-patulus, foliolis aequalibus ovatis obtusis dorso viridibus margine albo-membranaceis. Corolla nul-

*) λεκάνη, λεκάνιον, patella, et καρπὸς, fructus.

la. Stamen in plurimis floribus singulum, rarius duo, hypogyna, calicis foliolis duobus (duo si adsunt) contiguis opposita iisque vix longitudine aequalia; filamentum breve, filiforme, pallidum; anthera didyma, erecta, locellis subglobosis distinctis deorsum divergentibus extrorsum dehiscentibus. Pistillum: germen ovato-depressiusculum, calicem replens; stylus conicus, aequans foliola calicis, persistens; stigmata duo, filiformia, pubescentia, recurva, marcescentia. Cystis cito increscens, orbicularis, depressa, margine obtuso cincta, stylo persistente mucronata, calice persistente libero basi et ambitu vestita, disco supero nuda, membranacea, unilocularis, monosperma, in medio margine circum circa dehiscens, operculo convexo-plano styloque mucronato facile discedente. Podospermium e fundo cystidis ascendens laterique interiori eius applicatum, filiforme. Semen horizontale, ovato-compressum, ad hilum emarginatum, laeve. Embryo perispermicus, albumen centrale cingens, horizontalis, cilindricus; radicula peripherica, centrifuga; cotyledones duae angustae.

Habitus. Herba virens, foliis alternis oleraceis petiolatis (dentatis) concoloribus exstipulatis, floribus cymosis axillaribus in dichotomia cymularum sessilibus, tempore florescentiae minimis, fructu ratione floris amplo.

Lecanocarpus cauliflorus.

Synon. Amaranthus cauliflorus Link. En. H. b. Berol. Vol. II. p. 389.
Amaranthus diandrus Sprengel. *Neue Entd.* 3. *p.* 20.
Acroglochin chenopodioides Schrad. Cat. hort. Gott., et Fischer Cat. hort. Petrop.
Blitanthus nepalensis Reichenb. Cat. hort. Dresd.

Patria. *Nepal.* ☉. Floret sero autumno.

Descr. Radix annua. Caulis bipedalis et altior, erectus, ramosissimus, crassus, angulatus, viridis, glaber. Rami patentes. Folia alterna, caulina inferiora 4 pollices longa, 2 pollices lata, superiora duplo minora, petiolo, folii longitudine, canaliculato subpubescenti innixa, deltoideo-ovata, acutiuscula cum mucrone, basi cuneata, angulata, dentata, dentibus inaequalibus gros-

sis mucronatis, glabra, venoso-reticulata, concolora, herbaceo-succulenta, odore Spinaciae. Cymae in caule ramisque copiosae, sessiles, axillares, seu potius folium parvum ovatum vel ovato-lanceolatum mucronato-dentatum petiolatum extrorsum ad basin secum extollentes, multiflorae, repetito-dichotomae, ramulo altero semper breviori, extremis denique nudis spiniformibus furcatim divergentibus. Flores in omnibus dichotomiae cymarum angulis solitarii, sessiles, parvi, virescentes, extremi plerique abortientes. Stamina cum antheris albida. Cystis lineae vix diametro, orbicularis, margine discreto cincta, flavo-virescens, matura ob semen, per superficiem emicans, subfusca. Semen fusco-brunneum, laevigatum, nitidum, cystidem replens.

Adnot. Amaranthi genus ita distinguimus:

Amaranthus.

Flores monoici. Masc. Calix 3-5-phyllus, coloratus. Corolla nulla. Stamina 3-5, antheris incumbentibus. Fem. Calix maris. Corolla nulla. Styli 3. Cystis ovata. Semen unicum, verticale.

Habitus. Herbae foliis alternis petiolatis integerrimis apice plerumque mucronulatis, saepe coloratis.

Cultura. Semen, primo vere in testis vel vaporariis sparsum, laetam segetem gignit, exeunte Maio mense in hortum denique transferendam; ipsaeque terrae sub coelo mandata seges apud nos quotannis felici prodiit incremento. Maturescit semen autumno, sed paullo lentius, quapropter plantae aliquae testis servandae sunt praesertim in iis regionibus, ubi frigus praecocius ingruit.

S.

Explicatio Tabulae II.

A. Pars caulis cum ramo naturali magnitudine.
B. Folium caulinum naturali magnitudine.
C. Integra planta, supra radicem decerpta et magnitudine solito minori delineata.
a. Cymula, ut reliquae omnes, quae sequuntur, partes, aucta magnitudine effecta.
b. Pars ramuli eius cum florum fasciculo, magis auctus.
c. Flos integer.
d Pistillum cum stamine.

e Calix expansus, exemtis staminibus et pistillo, superne conspiciendus.
f. Idem cum fructu maturo.
g. Cystis deoperculata, semen fovens.
h. Eadem, emisso semine, podospermium monstrans.
i. Semen.

Hygrophila R. Br.

Didynamia Angiospermia Lin. — Ord. nat. *Acantheae.*

Ch. ess. Calix tubulosus, semiquinquefidus, aequalis. Corolla ringens. Stamina quatuor antherifera, antherarum loculis parallelis muticis. Ovarii loculi polyspermi. Dissepimentum adnatum. Semina retinaculis subtensa. Rob. Brown Prodr.

3. *Hygrophila costata.*

H. caule erecto, foliis ovato-ellipticis venoso-costatis supra lineolatis, floribus verticillatis.

Habitat in Brasiliis. Culta e seminibus, a Cl. Weinmann, Horto imperiali Pawlowskiensi praefecto, missis, floruit secundo anno, fine Octobris. ♃.

Descr. Caulis 2-3-pedalis, erectus, basi stolonifer, tetragonus lateribus oppositis alternatim excavatis, glaber, multiarticulatus, articulis elevatis, geniculis basi purpurascentibus sursum viridibus; ramuli breves, simplices, floriferi oppositi e foliorum superiorum axillis. Folia opposita, erecto-patentia, ovato-elliptica, utrinque attenuata, in petiolum pollicarem decurrentia, integerrima, supra pilis adnatis striolata, subtus glabra, venis crebris arcuatis parallelis simplicibus costata, laete viridia, nitidula, firma. Flores in ramorum et caulis axillis superioribus verticillati, terni, quini vel etiam septeni ex ala singula, sessiles. Bractea communis utrinque ad sinum quemque singula, linearis, acutiuscula, ciliata, calice dimidio brevior; propria ad singuli calicis basin lineari-lanceolata, ciliata, calice quatruplo brevior. Calix cylindricus, ultra medium quinquefidus, basi quinquesulcatus, viridis, laciniis aequalibus subulatis ciliatis. Corolla calicem parumper excedens, bilabiata, pubescens, lutescenti-alba; labio superiori brevi spatio bifido, laciniis rotunda-

tis; inferiori ad medium trifido, laciniis ovatis obtusis. Stamina quatuor longitudine labii inferioris, basi per paria connata; filamenta basi dilatata et in parte dilatata pubescentia, apice subulata, alba; antherae albae, oblongae, obtusae, basi sagittatae, bilocellatae; locellis parallelis, in staminibus brevioribus altero locello saepe abortiente. Pistillum: germen cylindricum, glabrum, laeve, nitidum, basi annulo nectarifero albo subintegro cinctum; stylus filiformis, staminibus paullo longior, pubescens, viridulus, post foecundationem apice fuscus; stigma uncinatum. Capsulam maturam nondum vidimus.

Cultura. In caldario servanda est haec species, testa per hiemem, loco subumbroso et a fenestris distante, in cortice coriario sepositа; aestate vel extra corticem coriarium proficit, praesertim ubi catillo supposito largiori ab inferiori parte nutritur humore. Namque laetari videtur solo humido, quod aequo pondere argillae vel terrae caespitum et humi foliorum putrefactorum subarenosae paratum, equidem nostrae plantae elegi. Propagatur facile pangendo ramulos abscissos, revulsisve a matre stolonibus, qui ad terram decumbentes, sponte radices agunt. Maturum semen nondum sustulimus ex nostris plantis, quarum caules, quotannis emorientes, post aliquod tempus novellis surculis explentur. S.

Explicatio Tabulae III.

A. Ramus plantae florentis, naturali magnitudine.
a. Calix cum pistillo, aucta magnitudine.
b. Flos integer cum bractea, aucta magnitudine.
c. Corolla, dissecta et aucta.
d. Par staminum lateris sinistri (ad spectatoris dextram), magnitudine aucta.
e. Pistillum, magis aucta magnitudine.

CAMPANULA Lin.

Pentandria Monogynia Lin. — Ord. nat. *Campanuleae Iuss.*

Ch. ess. Calix superus, quinque-vel decemfidus. Corolla campanulata, quinquefida. Filamenta basi dilatata. Capsula poris ad latera dehiscens.

Campanula crassifolia.

C. caule suffruticoso diffuso, foliis petiolatis dentato-crenatis subcarnosis laevibus, summis lanceolatis subintegerrimis, pedunculis unifloris, corolla patente.

Syn. C. crassifolia N. ab E. Syll. Ratisb. I. p. 6.
C. fragilis Link. En. H. Ber. I. p. 215?

Patria. America borealis, unde planta siccata *Naumanni*, amici nostri, opera nobis adlata est. — Colitur in horto nostro, ex alio horto sine nomine comparata. Floret Iunio, Iulio et Augusto mensibus.

Descr. Glaberrima. Caulis basi lignescens. Rami herbacei, longi, apice subramosi, virgati, debiles, procumbentes, subangulati. Folia ad ramorum originem longissime petiolata petiolis supra canaliculatis, parva, reniformia, crenato-dentata, subcucullata; media brevius petiolata, subrotunda, denticulata; superiora ovali-lanceolata, subintegerrima; omnia subcarnosa, coriacea, nitida. Flores in ramulis brevibus terminalibus foliisque parvis linearibus inspersis solitarii, magni, pallide coerulei, fundi colore magis intenso. Calix basi sulcato-angulatus, laciniis linearibus rigidulis integerrimis corolla dimidio brevioribus. Corolla campanulata limbo patente, seu ex campanulato rotata. Filamenta basi dilatata, coerulea, utroque margine pilis candidis ciliata. Antherae flavescentes. Stylus albus, longitudine corollae; stigmata flocculosa. Capsula poris ad basin dehiscens.

Cultura. In solo aperto culta, moderato apud nos frigore, ad 9° R. et ultra, illaesa per hiemem evasit, sed paullo vehementiori gelu, 14° R., extincta est. In testa sata, cum tempore parvi fruticuli speciem induit, marcescentibus scilicet a basi ramulis cum foliis caudiceque radicali nudo superstite; talis autem planta hieme in frigidario reponenda est. Solum, quod ex argilla, arena humoque foliorum mixtis paratur, huic maxime conducit. Semen, vel cum uberrimis gauderent floribus, plantae nostrae nunquam ad maturitatem perfecerunt; propaganda igitur recissis ramis, perfacile radices agentibus.

S.

Explicatio Tabulae IV.

a. *Campanula crassifolia* magnitudine naturali.
b. Calix cum staminibus et pistillo magnitudine naturali.
c. Stamina, seorsin picta, magnitudine naturali.
d. Stamen singulum, magnitudine aucta.

VERNONIA Schreb.

Syngenesia Polygamia aequalis Lin. — Ord. nat. *Synanthereae.* Trib. *Vernonieae.*

Ch. ess. Periclinium ovatum, imbricatum. Receptaculum nudum. Stigma bifidum, breviusculum. Pappus duplex; exterior e paleis abbreviatis formatus; interior capillaris.

Sect. III Cass. *Lepidoploa*: squamis periclinii apice muticis.

Vernonia (Lepidoploa) tomentosa.

V. frutescens, foliis oblongo-lanceolatis integerrimis utrinque villoso-tomentosis, pedunculis brevibus corymbosis, floribus sessilibus.

Habitat in India orientali. Floret Martio mense. Frutex. Semina misit clariss. *Hooker.*

Descr. Caulis virgatus, simplicissimus, basi lignescens, quinquepedalis et altior, inferne cortice cinereo-fusco, superne pallide virescenti villoso-tomentoso indutus, versus apicem foliosus. Folia breviter petiolata, alterna, divaricata, oblongo-lanceolata, acuminata, margine integerrima, tres uncias circiter longa, unciam unam vel sesquiuncias lata, supra flavo-viridia subtus albido-cinerea et nervis venisque prominentibus reticulata, utrinque mollissime tomentoso-villosa. Flores ad apicem caulis corymboso-paniculati. Pedunculi ex axillis foliorum superiorum, caeteris multo minorum, prodeuntes, patentes, teretes, unciam vel sesquiuncias longi, apice utplurimum bifidi et floribus octo-duodecim pallide violaceis sessilibus onusti. Periclinium parvum, cylindricum, e foliolis imbricatis pubescentibus lanceolatis acutis, interioribus longioribus apice coloratis, compositum. Flosculi circiter duodecim in quovis

periclinio. Corollulae glabrae infundibuliformes, limbo quinquepartito, laciniis angustis lanceolato-linearibus patentibus pallide violaceis tubum longitudine aequantibus. Antherae albae. Stylus longe exsertus, violaceus; stigmata recurvata, ad lentem ciliata. Achenia matura obconica, fuscescentia, pilis candidis erectis dense vestita, apice truncata et pappo duplici, exteriori facile deterendo, coronata. Pappus exterior brevissimus, e paleis acutis inaequalibus, interior capillaris, e pilis candidis tubo corollulae longioribus et maturitate deciduis formatus.

Obs. Inter *Vernonias Lepidoploas* Cass., quae omnes Americae calidioris incolae sunt, species nostra *V. arborescenti* quodammodo similis est, sed inflorescentia satis recedit. Inter affines *Conyzas* cum *C. Caroliniensi* comparanda esset nostra, si plantam alius generis huc trahere liceret.

Cultura. Solum, quo laetissime vigeat, isti plantae paullo accuratius parandum est ex humi foliorum partibus tribus, margae terraeve caespitum duabus additaque una parte arenae. Calore caldarii una cum aliis eiusdem patriae fovenda est; neque tamen areae corticis coriariorum ollam immergi opus est, dum aëre gaudeat libero soleque, in repositorio ligneo collocata. Propagationi inserviunt rami pangendi et semina; peractaque sementi, testa, cui semen imponebatur, vaporario committenda. Tum brevi exeunte semine, surculi novelli, cum post aliquot menses invaluere, in alias singuli testas transferuntur.

S.

Explicatio Tabulae V.

a. *Vernoniae tomentosae* ramus magnitudine naturali.
b. *c.* Folia caulina, magnitudine naturali.
d. Calathidium integrum, magnitudine naturali.
e. Flosculus singulus, aucta magnitudine.
f. Squamae periclinii, magnitudine aucta.
g. Clinanthium cum Achenio singulo, resecto ex altera parte periclinio, magnitudine aucta.

LAVATERA Lin.

Monadelphia Polyandria Lin. — Ord. nat. *Malvaceae.*

Ch. ess. Calix duplex; exterior monophyllus, tri-sexfidus. Cocca diaeresilis monosperma, indefinita.

Lavatera silvestris Brot.

L. caule herbaceo erecto scabro, foliis cordatis angulato-quinquelobis obtusiusculis, pedunculis aggregatis petiolo longioribus.

Syn. Lavatera silvestris, caule herbaceo pube stellata scabro, foliis obtuse angulatis subrotundis, summis subtrifidis acutis, pedicellis unifloris geminis ternisve petiolo brevioribus (?), involucellis tripartitis. Brot. Fl. Lus. II. p. 277. Link in Schrad. n. Iourn. Vol. II. I. p. 101. Dec. Prodr. I. p. 440. — L. sicula Tin. Pug. I. p. 14? Schrank. Bot. Z. 1819. p. 386? — L. Weinmanniana Trev.? (e Candollio).

Habitat in Lusitania. Biennis vel perennis.

Descr. Caulis erectus, basi lignosus, ramosus, obtuse angulatus, setulis brevissimis fasciculatis tuberculo impositis ad tactum scaber. Folia alterna, longe petiolata petiolo superne canaliculato setulis stellatis scabro, omnia suborbiculata, profunde cordata, setulis supra solitariis infra fasciculatis scabra, duplicato-et minutim crenato-serrata; inferiora obtuse septemloba, superiora sensim minora, quinqueloba, lobis serraturisque profundioribus et magis acutis. Stipulae triangulari-acuminatae, ciliatae, patulae, marcescentes. Flores e foliorum superiorum axillis bini, terni vel quaterni, pedunculati, pedunculis pollicem dimidium circiter longis teretibus fasciculatim hispidulis petiolo longioribus. Calix turbinatus, minute subtomentosus; exterior trifidus, laciniis ovatis obtusiusculis, interior 5-fidus, laciniis ovato-acuminatis. Corolla ampla, laciniis obovatis profunde emarginatis roseis basi albidis lineisque 7 saturatioribus pictis. Genitalia alba.

Adnot. *Lavatera cretica*, isti propius accedens, definienda est:

L. caule hispido-scabro diffuso, foliis orbiculatis quinquelobis acutis, pedunculis aggregatis petiolo brevioribus.

Quod *Candollius* l. c. pedunculos petiolo breviores tribuat plantae suae, minus offendet, si consideraveris, *Lavaterae Creticae* pedunculos multo, breviores petiolo ab eodem auctore tribui; scilicet inferiores pedunculi petiolum vel attingere longitudine, vel etiam eo esse breviores, non semel observavimus, superiores autem non solum petiolo sed ipsis etiam foliis floralibus saepe longiores. Proceriores itaque pedicellos floribus Lavaterae silvestris, quam Creticae Lavaterae floribus esse, in universum statuens, simulque ad *Lavateram ambiguam*, e pedicellis folio (nec vero petiolo) longioribus distinguendam, respiciens, inferiorum magis quam superiorum pedunculorum longitudinem descripsisse videtur Auctor iste celeberrimus. Liceat autem de *Lavatera ambigua*, num diversa sit a *silvestri*, an eius varietas? movere dubia.

Cultura. Cum secundo anno floreat haec planta pereatque maturo semine, vel si ulterius etiam vitam perduxerit, aegrotet tamen neque amplius ad pristinum decus resurgat, quotannis novam sementem ut facias, necesse est. Solo quocunque fertiliori crescit, dum ne sit indolis nimis spissae. Perit hiemali frigore eoque vel levissimo necatur; quam ob rem testis imponenda est et in frigidario, cum frigus increscat, conservanda. S.

Explicatio Tabulae VI.

a. Planta magnitudine naturali.
b. Flos, ad verticem dissectus, naturali magnitudine.
c. Calix cum fructu immaturo magnitudine naturali.

ADDENDA.

Pag. 5. lin. 8. inf. adde inter synonyma *Lecanocarpi cauliflori*: Acroglochin chenopodioides Schult. Mant. S. Veg. I. p. 68. et 227.

Cum tabulam nostram, ante annum et quod excurrit impressam, immutari fas non esset, Lecanocarpi nomen, quod ipsi olim plantae imposueramus, in textu conservavimus, tametsi animus non sit, extrudere isto consilio nomen Acroglochin Schraderianum.

Bonnae, typis Thormannianis.

Patriae et rei publicae.

Tablica
Księgozbiorów Zabezpieczonych
w Katowicach

Catasetum purum.

T. Wild ad nat. pinx.

Hohe del.

Lecanocarpus nepalensis.

Henry ad nat. pinx.

Hooke lith. Edp.

Hygrophila costata.

J. Wallich ad. nat. pinx.

Maire del.

Campanula crassifolia

T. Wild ad. nat. et in lap. del.

Vernonia tomentosa.

T.Wild ad nat. del. et lap. lith.

Lavatera silvestris Brot.

P. Wild ad. nat. et on lap. del.